

ditio juramenti) spectat, si hoc solam desit, ut plurimum est veniale tantum; ut si quis absque necessitate juret, sive ex levitate quadam animi, sive ex consuetudine. » V. Sanchez, lib. III, c. 6, n. 22, Less.

« Mortaliter tamen etiam hic, aut venialiter peccari potest, juxta quantitatem negligentiae, quam jurans admittit in investigatione veritatis, vel tollendae consuetudinis. » Sanchez, n. 10.

« Et sic mortalis est status illorum qui non tollunt consuetudinem jurandi sine attentione, sitne verum hoc, an falsum, quod jurare solent. » Apud D. de Ligorio, de juramento, n. 145.

(34. « Quod ad justitiam attinet, quæ est tertia in juramento conditio, peccat mortaliter, qui jurat se facturum rem mortaliter malam ut se alquem interfecturum; quia est gravis irreverentia, divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare, ita ut hic duæ malitiæ concurrant: una quod velit malum; altera, quod ad hoc abutatur auctoritate Dei odio habentis omne malum. » Apud D. de Ligorio, de Juram., n. 146.

(35. « Hoc certum est in juramento promissorio; sed quæstio est an sit peccatum grave defectus justitiæ in juramento assertorio; si quis cum juramento se jactet de aliquo peccato? Prima sententia affirmat; sed probabilius dicendum non esse nisi veniale contra religionem; quia in tali assertorio juramento (juramentum) pronuntiat ad alios certiores reddendos de suo peccato, quod non est, nisi quædam animi levitas venialis. Secus tamen dicendum, ut bene advertunt Salmat., si quis juramentum assumeret ad firmandam detractionem, quia juramentum tunc sumitur ad infamiam alterius certiore reddendam. » D. de Ligorio, l. cit., n. 146.

(36. « Venialiter autem peccat, qui jurat facere rem venialiter malam, aut vanam, aut inutilem, aut frivolum; cum ibi levis tantum irreverentia censeatur. » Busemb. Sed magis, ita D. de Ligorio, mihi arridet sententia opposita, quam tenet Elbel., quia non levis, sed gravis irreverentia videtur invocare Deum in testem, ac fidejussorem peccati, quamvis levis. *Ibid.*, n. c.

(37. Item venialiter peccat, qui jurat aliquid contra consilia evangelica, ut se non ingressurum religionem, non daturum eleemosynam, aut mutuam. Suarez, Less., Sanchez, apud D. de Ligorio, n. c.

(38. His ita præstitutis, operæ pretium est de interpretatione juramenti regulas quasdam proponere.

Regula I. Juramentum, ex DD. sententia, est stricti juris, stricteque interpretandum. Suarez, lib. II, de juramento, cap. 12, numero 7, apud Reiffenst. ad tit. 24, ex de juram., § 2, n. 1.

Id sane desumitur ex cap: *Cum clerici* ex., 19, de verb. significat., ubi juramentum editum stricte per pontificem interpretatur. Labet afferre verba Decretalis: « Cum clerici Placentini juramentum præstant sub hæc forma verborum: Ego talis ab hac hora in

antea fidelis ero, et obediens sanctæ Placentinæ Ecclesiæ, et domino meo episcopo Placentino; per vestras nos litteras consulere voluistis, utrum intelligi debeat clericus totius diocesis, an capitulum tantum Ecclesiæ cathedralis? Nos igitur discr. v. respondemus, quod per Ecclesiæ Placentinæ vocabulum in forma juramenti præscripti, non debet intelligi totius diocesis clericus; et si capitulum intelligatur Ecclesiæ cathedralis, is tamen qui præstat hujusmodi juramentum, episcopo, tanquam capiti, principaliter obligatur. »

Accedit ratio quia ubi de inducenda obligatione agitur, stricta debet fieri interpretatio juxta c.: *Odia restringi, et favores convenit ampliari*, 15 de reg. jur. in 6. Unde si quædam reperiatur obscuritas, juramentum interpretatur pro favore jurantis; atque illud quod palam verbis expressum non est, censetur omissum I. *Quidquid astringendæ* ff. de verb. obligat. ibi: « Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id, nisi palam verbis exprimitur, omissum esse intelligendum est, ac fere secundum promissorem interpretatur. »

(39. « Atque istud vel maxime procedit pro foro externo; nam in foro animæ juramentum interpretatur secundum intentionem jurantis, juxta illud I. Regum cap. xxvi, v. 7: *Homo videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor*. Unde D. Gregorius relatus *can. Humanæ aures* 22, q. 5, sic loquitur: « Humanæ aures nostra talia judicant, qualia foris sonant; divina vero judicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur. »

(40. « Quod si tamen de ipsa jurantis intentione non constet, tunc etiam in foro animæ ac pœnitentiæ, juramentum stricte est interpretandum. »

« Neque obstat favor juramenti atque reverentia eidem debita. Siquidem favor juramenti, ac reverentia ipsi debita, principaliter consistit in eo quod sit verum, justum atque rationabile; sicque habeat comites suos, *veritatem* nimirum, *judicium* atque *justitiam*; non autem, ut ad plura extendatur atque in dubio ampliatur; quinimo, quo benignior fuerit interpretatio juramenti, eo facilius observabitur, magisque evitabitur ipsius violatio, seu perjurium. » Ex Reiffenst., l. cit., n. 32, 33, 34.

(41. Hoc pacto quando juramentum est præstitum circa materiam juris, hoc est circa illa, de quibus jus ipsum disponit, tunc illud est interpretandum secundum dispositionem juris communis, neque ultra extendendum. Ita Glossa in c. 1, vers. *Declaramus* l. c. in 6; Innocen. c. *Per tuas litteras*, de arbit.; Abbas, c. *Tua nos* n. 4, de Eccl., ædific., Layman., Pirhing, alique.

Id amplius evincitur ex cap. *Ad nostram* 21. Ex h. tit. tenoris sequentis: « Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod dudum a te quasi per extorsionem tale fuit præstitum juramentum, quod in omni causa deberes ordinem judicium observare. Verum quoniam secundum traditiones cano-

nica manifesta accusatione non indigent, nec in eis est ordo judicium observandus, qui debet in aliis observari, neque tu quando sub præmisso tenore jurasti habebas in mente, ut propterea venires contra canonicas sanctiones; alioquin non juramentum, sed perjurium potius extitisset, nec esset aliqua ratione servandum. Nos juramentum tuum benignius interpretari volentes, ita quod in manifestis et notoriis ratione juramenti præmissi non credimus te teneri servare subtilitatem ordinis judicium, quam in his non servari per omnia ipsa quoque juris ratio postulat, et requirit. Quanquam et secundum approbatum intellectum Scripturæ divinæ recte possit intelligi quod jurasti, ut in omnibus causis ordinem judicium observares; in illis videlicet, in quibus est ordo judicium servandus. Sic ergo faciens, et juramenti tenorem servabis, et instituta canonica non omittes. » Ubi vides quod jurans in omni causa observare debere ordinem judicium non tenetur vi juramenti ipsum servare in manifestis ac notoriis: quippe, spectato jure communi, manifesta accusatione non indigent: ac proinde etiam illud juramentum, utpotè interpretandum secundum jus commune, casum hunc de manifestis non comprehendit. Ex Reiff., ib., n. 36.

Audiamus ad mox allatum textum cl. Barbosa in hæc verba: « Juramentum simpliciter et in genere factum intelligitur de his rebus quæ juri non contradicunt; verbi gratia, qui jurat in omni causa servare ordinem judicium, intelligitur quando talis ordo servandus est, et non quando jus aliter disponit; verbi gratia, in manifestis, et notoriis non est opus accusatione, nec subtilitate ordinis juris, secundum jus canonicum, (et in hoc servandum non est juramentum, alioquin si intendebat facere contra jus canonicum, erat perjurium. » Collect. DD. in 2. Decret., tit. 24, de jurejur., c. 20, n. 1.

(42. Hujusmodi doctrina declaratur amplius exemplis atque casibus specialibus.

Sic clericus, qui juravit perpetuam residentiam, potest in casibus a jure permissis abesse, verbi gratia, pro servitio suæ Ecclesiæ, ut habetur ex cap. 13, ex., de Clericis, non resident. tenoris ut sequitur: « Ex parte tua fuit propositum coram nobis quod tempore, quo præposituram de Valeriis recepisti, præstitisti de faciendâ residentia juramentum. — Cum autem prosequendo præposituræ jura, residere interdum in Ecclesia memorata non possis, de juramento super ipsa residentia præstito metuens, providi tibi super hoc a nobis humiliter postulasti. Nos vero dicimus quod si, te non absentando in fraudem, præposituræ tuæ jura fideliter prosequeris, cum ex hoc censeris debeas residens, perjurium non incurris. »

Hinc Barbosa ad hunc textum: « Jurans, inquit, residere in sua Ecclesia, et postea sine fraude se absentans ad defendenda, vel prosequenda illius jura, non dicitur

perjurus, sed debet censeris residens. » Collect. DD. in 3. Decret. tit. 4, de cler. non resid., cap. 13, n. 1.

(43. Similiter clericus qui juravit perpetuam residentiam, ut supra, potest abesse ex causa infirmitatis, seu justæ et rationabilis corporalis necessitatis. Reiffenstuel, ad Tit. 24, ex de jurejur., § 2, n. 38.

(44. Item qui juravit parere juri, vel mandatis Ecclesiæ, potest, hoc juramento non obstante, si se injuste gravatum viderit, licite appellare, sicut jure communi concessum est. Abbas ad Cap. *Prout nobis ex de dolo et contum.* Reiffenstuel, loc. cit., num. 39.

(45. Hi siquidem, alique hujusmodi casus exceptionem et interpretationem favorabilem admittunt, ac recipiunt ex dispositione juris communis, juxta quod servitium Ecclesiæ, aut infirmitas excusant a residentia prout ab injusto gravamine sit locus appellationi.

Regula 2. In interpretatione juramenti attendenda semper sunt salus, et majus bonum proximi, publica utilitas atque bonum commune.

Hoc pacto, jurans, vel vovens concubinam ulterius non cognoscere, nihilominus potest cum ea contrahere matrimonium, quia votum, vel juramentum hujusmodi intelligitur solum de voto illicito. — Quod verum est, etiamsi jurasset expresse non contrahere matrimonium cum ea, relicta sibi facultate cum aliis contrahendi, quia tale votum, vel juramentum est impeditivum majoris boni, nam melius est contrahere cum concubina, quam cum alia. Bonacina tom. II, disp. 4, de voto, q. 2, § 3, n. 9. Apud Nictolium, Floscul., v. *Juramentum*.

(46. Sic qui juravit, consilium, seu secretum alterius nulli revelare, vi hujus juramenti solummodo tenetur celare consilium ipsius honestum; secus dicendum de consilio malo et reipublicæ pernicioso: Abbas, ad cap. *Ergo* h. t. n. 7. Qui tamen notanter addit quod tunc ejusmodi consilium, seu secretum malum non possit revelari omnibus, foret enim manifesta detraçtio, occultum crimen alterius sine legitima causa manifestare, sed illis duntaxat, quibus potest prodesse, et non obesse, puta quia possunt sibi, aut reipublicæ præcavere a gravioribus malis. Reiffenst., l. c., n. 40.

(47. Sic quoque qui juravit alicui reo se non revelaturum ejus crimen, non tenetur ex tali juramento, quippe vergeret ad communitatis detrimentum, cujus vel maxime interest, ne delicta impunita maneat; intellige secundum limitationem ut in n. præcedenti.

(48. Insuper qui doctrinam alicujus experimenti, sive salubris, ut singularis remedii accepit, ac interposito jurejurando promisit id se nemini communicaturum, juramentum istud servare non semper tenetur, sed in certis duntaxat rerum circumstantiis. Quippe cum salubris remedii communicatio non minimum bonum sit, jusjurandum, quo se aliquis astringit, ut nusquam illud communitet, foret contra charitatem. Ex Nat. Alex.

*Theol. Dogm. mor.*, lib. iv., ad 2, Decal., de juram., regula 20.

(49. Regula 3. Juramentum bona fide generaliter prælitum est interpretandum secundum intentionem jurantis, non vero extendendum ad incognita, seu ad talia de quibus jurans in specie non cogitavit, et si in mentem venisset, verisimiliter excepisset. Hinc D. Th. « si jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem ipsius jurantis. » 2-2, qu. 89, art. 7, ad 4.

(50. Hoc pacto, juramentum non est extendendum ad casus non cogitados, nimiumque graves, seu improbables. Reiffenst., l. c., n. 45.

(51. Proinde, qui juravit stare mandatis alterius, si alter ipsi præcipiat, ut in pœnam alicujus illatæ offensæ, filios, filiasque exhæredet, et a se propriam removeat uxorem, non tenetur servare tale juramentum, utpote ad incogitata se extendens, simulque præcipiens aliquid illicitum, ut ex cap. 23, ex hujus tituli, in hæc verba: « Quintavallis Vicarius nostris auribus intimavit quod cum olim filiæ sive cum Giburga et Venetia filiabus Jo. Bertii, ad verba, et etiam ad verbera devenissent, idem Quintavallis pro offensa quam filiæ illius aliis irrogaverant, satisfacere cupiens, de consilio convicinorum mulieribus illis, et consanguineis suis præstitit juramentum, ut pro ipsa offensa earum mandato pareret: quæ ab ipso juramento recepto, tale illi sub debito juramenti dedere mandatum, quod si quando filii, vel filiæ, vel uxor illius aliquid factum, vel verbum contumeliosum mulieribus illis objicerent, idem Quintavallis, et filios suos exhæredaret et filias, et a se propriam removeret uxorem. Quo circa f. t. inquiras de præmissis diligentius veritatem; et si rem noveris ita esse, cum licitum fuerit iuramentum, sed mandatum illicitum, prædictis filiabus Jo. Bertii, ut revocent mandatum illius injungas; alioquin prædictum Quintavallis ad mandati observationem illius, auctoritate nostra suffultus denunties non teneri.

(52. « Notatur ad hoc, ait Barbosa ad hunc textum, quod cum aliquis jurat simpliciter stare mandato alicujus, non tenetur parere si præcipiat illicita. Unde si famulus juravit se Domino obtemperaturum, ipsi imperanti aliquid inordinate parere non tenetur. Et si quis juravit stare consilio alicujus, intelligi debet, si consilium sit juri consonum. » Collect. DD. in 2, decret. cap. Quintavallis, 23, ex. de jurejur., n. 2 et 3.

(53. « Hinc, deciditur quæstio de clerico, qui juravit stare omni mandato episcopi, qui tandem præcepit clerico ut beneficium, de quo controversia erat, renunciaret, neque super hoc appellaret, in qua quæstione Joan. Andreas concludit clericum posse appellare, non obstante tali præcepto, quia beneficium juris non potuit ei episcopus denegare, et iniquum fuit præceptum; ideoque juramentum ad illud non extendebatur, cum de illò jurans verisimiliter non

cogitasset. » Ita Fagnanus ad cap. *Veniens*, ex. de jurejur., n. 19.

(54. At si jurans fuerit in dolo, præstando, v. g., juramentum sub verbis callidis ad decipiendum eum cui jurat, tunc juramentum est interpretandum, atque est obligatorium juxta intentionem recipientis, hoc est juxta sanum intellectum illius cui juramentum præstat. « Quando non est eadem jurantis intentio, et ejus cui jurat, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstat. » Sic D. Th. 2-2, q. 89, art. 7, ad 4. — Et revera *fraus et dolus alicui patrocinari non debent*, ut dicitur cap. *Sedes 13*, ex de Rescriptis. Quinimo dolose jurans, teneretur ex virtute justitiæ pro foro conscientie, et etiam ante aliam sententiam judicis, ad refundendum omne damnum alteri, quem suo doloso juramento decipit, atque damnificat. Reiffenst. ad. cit. tit., 24, ex de jurejur., § 2, n. 48 et 49.

(55. Quarta regula est juramentum personam jurantis respicere, nequaquam vero hæredes et successores complecti etiamsi quis pro se et hæredibus juramentum præstitit.

Enimvero jusjurandum est obligatio voluntarie assumpta ex virtute religionis, sicut et votum, adeoque esse non potest absque intentione jurandi; ac proinde est vinculum personæ annexum, sicque nequit ejus obligatio ad aliam transferri personam. Reiffenst. ib. § 4, num. 103. Nota vero quod obligatio ex contractu firmato a juramento ad hæredes sine dubio transmittitur. Qui utique, quamvis non ex juramento propter se, ex contractu tamen tenebuntur, quippe ex notissimis juris principiis *omnis obligatio defuncti transit in hæredem*; et hoc pro utroque foro. *Communis*, ex cap. 1, de pactis, et l. *Jurisjurandi ff. de operis libert.*

(56. Infertur inde quod si defunctus promissionem homini factam, et ab eodem acceptatam, verbi gratia, de danda certæ pauperi puellæ dote, juramento firmaverit, sicque duplicem contraxerit obligationem, unam religionis vi præstiti juramenti, alteram justitiæ ratione pacti, seu promissionis ab altero acceptatæ; tunc quidem per mortem ipsius exstinguatur prior obligatio, quæ est propria juramenti, atque ex virtute religionis oritur, cum sit mere personalis: Posterior tamen transeat ad hæredem, qui adeundo hæreditatem censetur contractum inire ad solvenda omnia defuncti obligationes et onera, sicque etiam tenetur dare dotem promissam puellæ pauperi. Reiffenst., ib., n. 107.

(57. Id vero intellige de obligationibus ex justitiâ: quia si hæres ex justitiâ non tenetur, juramentum ab auctore prælitum, utpote personale, non tenet. « Secus dicendum, sic Reiffenstuel, de juramento debitoris defuncti, qui promisit solvere usuras. Nam quia obligatio juramenti fuit personalis, remansit sicque extincta in morte debitoris defuncti; nulla vera remanserit obligatio justitiæ, eo quod exactio usurarum contineat turpitudinem, atque injustitiam ex parte

recipientis. Hinc hæres non tenetur ad istud juramentum persolvendum, » loc. cit., n. 109.

(58. Hinc quando juramentum solum obligat, contractus vero, cæteroquin de jure nullus, per illud non confirmatur, obligatio ejus non transit in hæredes. Quia juramentum non potest esse sine propria intentione, ac proinde obligatio ejus est mere personalis atque voluntarie assumpta ex virtute religionis, et consequenter non transit ad hæredes. Reiffenst., l. c., n. 113.

Audiamus insuper D. de Ligorio in hæc verba:

« Quæritur, cum contractus est irritus a jure, utrum tunc juramentum firmet contractum, ita ut promissarius ex eo acquirat jus justitiæ? Probabiliter negatur. Ratio quia nullo modo juramentum habet vim firmandi hujusmodi contractum; non ex se, quia solum obligat virtute religionis; non ex jure positivo, nam licet ex cap. 28, ex. de jurejur., tales contractus debeant servari ob juramentum, nullibi tamen habetur servandos esse ex justitiâ; et ideo hæc obligatio non transit ad hæredes jurantis; et ipse jurans deobligatur, relaxato juramento. » D. de Ligorio de juram., n. 177.

(59. Attamen juramentum ex parte ejus, cui juratur, non est personale, sed transit ad hæredes ipsius, ut ex cap. *Veritatis h. t.* in hæc verba « *Veritatis*. Cum intentio nostra sit nihil intolerabile tibi, tuisque hæredibus imponere, taliter in hoc articulo tibi duximus respondendum, ut hæredes tui, qui nobis, vel alicui successorum nostrorum juraverint, alii jurare minime compellantur. Catholicis, tamen successoribus nostris, qui pro tempore fuerint, et hominis et fidelitatis puritatem nihilominus, ac si jurassent, omni tempore teneantur absque tergiversatione aliqua fideliter observare. »

(60. Ergo vassallus, qui juravit prælato fidelitatem atque reverentiam, eandem etiam tenetur exhibere successoribus ipsius, neque istis amplius compellitur jurare, nisi velit, prout notat Glossa ad h. t. cap.; Reiffenst. ib. n. 110.

(61. « Si vero ad perfectam resolutionem eorum, quæ dicta sunt, quæras, cur possit aliquis se obligare alicui et successoribus illius sub pœna perjurii, non autem obligare se, et successores suos; respondebitur quod in primo casu plures illæ personæ sunt objectum juramenti, et potest jurans intendere totum illud objectum. Agitur enim solum de obligatione propria jurantis, quam quis facere poterit, prout voluerit. In secundo autem casu distinctæ sunt personæ, et juramentum natura sua non potest obligare nisi personam jurantem; et ita cum agatur de obligatione aliena, quam quis non potest facere, merito juramentum alias personas non obligat. » Barbosa Collect. DD. in 2, Decret. de jurejur. cap. *Veritatis 14*, n. 10.

(62. Hisce positis ad juramentum promissorium exponendum, ejusque naturam, obligationem et vinculum deveniamus.

Ante omnia præstat doctrinam D. Thomæ

hic afferre in hæc sane verba: « In juramento, quod præstat de his quæ sunt faciendæ a nobis, obligatio cadit super rem quam aliquis juramento firmavit; tenetur enim aliquis ut faciat verum esse id quod juravit; alioquin deest veritas juramento. Si autem est talis res quæ in ejus potestate non sit, deest juramento discretionis judicium: nisi forte quod erat ei possibile, quando juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum, puta cum aliquis jurat se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi vel furto subtrahitur; tunc enim videtur excusatus esse a faciendo quod juravit; licet teneatur facere quod in se est. Si vero sit quidem possibile fieri; sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum, tunc juramento deest justitiâ, et ideo juramentum non est servandum in eo casu quo est peccatum vel boni impeditivum: Secundum enim August., utrumque eorum vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendum est quod quicumque jurat aliquid se facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc ut veritas impleatur; si tamen alii duo comites adsint, scilicet judicium et justitiâ, » 2-2, q. 88, art. 7.

Prosequitur idem S. doctor. « Juramentum potest vergere in deteriorem exitum dupliciter. Uno modo, quia ab ipso principio habet pejorem exitum, vel quia est secundum se malum, sicut cum aliquis jurat se peccaturum adulterium; sive quia est majoris boni impeditivum: puta cum aliquis jurat se non intraturum religionem, vel quod non fiet clericus, aut quod non accipiet prælationem in casu in quo expedit eam accipere, vel si quid aliud est hujusmodi. Hujusmodi enim juramentum a principio est illicitum; differenter tamen, quia si quis juret se facturum aliquid peccatum, et peccavit jurando, et peccat juramentum servando. Si quis autem jurat se non facturum aliquid melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui sancto, qui est boni propositi inspirator; non tamen peccat juramentum servando; sed multo melius facit, si non servet. Alio modo vergit in deteriorem exitum propter aliquid quod de novo emerit, quod fuit impræmeditatum, sicut patet in juramento Herodis, qui juravit puellæ saltanti se daturum quod petisset; hoc enim juramentum poterat esse a principio licitum, intellecta debita conditione, scilicet si peteret quod dare deceret; sed impletio juramenti fuit illicita. » *Ibidem* ad 2.

(63. Unde certum est quod omne juramentum promissorium debite factum circa materiam honestam, et cedentem ad honorem Dei, vel bonum tertii pariat obligationem illud observandi ex virtute religionis. Quippe juramenta debite facta, simulque honeste involvunt reverentiam divini numinis, cujus summam atque indefectibilem veritatem jurans profitetur atque in testem advocat; proinde ad observantiam obligant, ne Dei veracissimi testimonium in confirmationem

falsitatis et mendacii per velitum nefas adducatur. *Communis.*

(64. Quid, si quis juret sine animo jurandi? Si desit intentio jurandi, conveniunt DD. juramentum in foro conscientiae non obligare ex virtute religionis, ac vi ipsius juramenti, revera enim talis non fuit ex defectu intentionis; quamvis non solum talis graviter, imo dupliciter peccat, dum et Dei nomen assumit in vanum, et proximum decipit, ita ei dolose jurando: sed etiam obligatur ad servandum juramentum illud, tum ratione scandalii exterioris vitandi, quod alias ex transgressione illius subsequeretur; tum ex justitia, ne ex suo doloso juramento grave damnum atque injustitia proximo inferatur; alioquin vero tenebitur ad resarciendum omne damnum suo doloso juramento causatum: Quia dolose jurans proximo, tenetur juxta intentionem recipientis servare suum juramentum, licet non ex virtute religionis, saltem spectato foro conscientiae: Sanchez, lib. v, in Decal., cap. 10. n. 4, et seqq. Apud Reiffenst., ad tit. ex de jurejur. § 3, n. 70.

Hinc Innocentius XI seq. propos. damnavit: « Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. »

(65. Notanter tamen dicitur, saltem spectato foro conscientiae; siquidem in foro externo cogere talis servare juramentum juxta verum sensum verborum atque intentionem accipientis; et si dolose jurans illud non servaret, censeretur agere non solum contra justitiam ratione damni injuste illati, sed etiam contra virtutem religionis, sicque reputaretur perjurius; nam Ecclesia non judicat de occultis; ac proinde censeretur juramentum fuisse veraciter et debita cum intentione probatum.

(66. Neque enim prodesset, si fecte jurans postea ultro confiteretur defectum suae internae intentionis tempore praestitii exterioris juramenti: nam allegans propriam turpitudinem, non auditur, saltem non ad suum commodum, bene tamen ad suum praedictum. Reiffenst., l. c., n. 71, 72.

(67. Quæritur an sic fecte jurans graviter peccet. Resp. affirmative, si juret sine animo implendi promissionem; si vero cum animo implendi, peccat tantum venialiter, ut communissime dicunt Sanchez, Roncaglia, Tambur. Elbel, etc. Recte vero excipiunt, si juramentum fiat in contractibus, vel coram judice, quia tunc, licet non sit perjurius, est tamen gravis deceptio contra justitiam. D. de Ligorio, de juram., n. 172.

(68. « An autem jurans cum animo jurandi, sed sine animo se obligandi, teneatur ad servandum juramentum? Prima sententia negat, tum quia hujusmodi juramentum fuit invalidum, tum quia Deus juramenta promissoria non acceptat, nisi juxta jurantium intentionem ex c. *Humanae aures* q. 5, ubi dicitur: Divina judicia talia foris nostra verba audiunt qualia ex intimis proferuntur. » Ita Pal., Salmat., Ronc., Tamb., Mazzat., Elbel., Sanchez cum S. Bonav., S. Anton., Scoto Sylv., Nav., Arm., Gabr., Ang. et aliis cum *communi*, ut asserit Azor

et clare favet D. Th. n. 3, dist. 59, q. 1, art. 3, q. 3, ubi ait: « Si autem simpliciter juret absque dolo, tunc in foro conscientiae non obligatur, nisi secundum suam intentionem. » Et idem confirmat 2, 2, q. 89, art. 7, ad 48. « Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis. » Is autem jurat sine dolo, ut dicit Elbel cum Fill., qui jurat alicui nullum jus habenti ex justitia ad rem promissam. — Secunda tamen sententia affirmat teneri ad servandum juramentum. Hanc tenent Less., licet vocem oppositam valde probabilem Cajet., Suarez, Sot., item Valent., Sayr., Fill., Arag. apud Bonac., Renzi. Ratio, quia, qui jurat cum animo jurandi, jam verum juramentum emittit, et ideo tenetur efficere, ad servandam reverentiam divini nominis, ut verum evadat quod jurat; nec potest a juramento separare obligationem implendi promissum, cum obligatio oriatur ex ipso juramento, de cujus natura est, ut effectum habeat quod juratur, ne vocetur Deus in testem falsitatis. Et in hoc apparet differentia inter votum, seu contractum, et juramentum; nam in illis obligatio pendet ab intentione voventis vel contrahentis; in juramento autem ex vi ipsius juramenti. Utraque sententia est probabilis, sed prima est probabilior; nam ratio hujus secundae sententiae supponit ut certum, tale juramentum sine animo se obligandi emissum, esse verum juramentum; attamen probabilius est et commune, ut asserunt Salmat., et etiam Viva, quod hujusmodi juramentum non sit verum juramentum, tum quia caret conditione necessaria ad naturam juramenti promissorii, qualis est animus se obligandi; tum quia juramentum sequitur naturam promissionis quam confirmat, ut certum est apud Bus, cum Less., Bonac., etc. At promissio sine tali animo facta non est quidem promissio, sed simplex propositum; ergo evanescente promissione, evanescit etiam juramentum, et habetur ut factum sine animo jurandi, quod certe nullum est. Si autem nullum existit juramentum, nulla existit obligatio illud implendi. D. de Ligorio, De juram., n. 172.

(69. Quæritur an detur parvitas materiae in transgressione juramenti promissorii; puta si promittens dare aliquid modicum cum intentione praestandi dum jurat, sed postea non impleat, an tantum leviter peccet? Prima sententia negat, quippe adest violatio juramenti, in qua violatione nulla datur parvitas materiae. Secunda vero sententia non minus probabilis, imo forte probabilior affirmat. Ex D. de Ligorio, De juram., n. 173.

(70. Quid si ex eo quod quis jurat, tantummodo parum aliquid non servet?

« Certum est, quod si ex eo, quod jurasti tantummodo parum aliquid non serves, non est grave; v. g. si jurasti te non bibiturum vinum, non peccas mortaliter parum bibendo. Sanchez t. I, l. iv, c. 12, n. 21. Quia tunc excusat parvitas materiae; et sic excusantur, qui jurant servare statuta alicujus capituli, collegii, universitatis, si postea parvum

aliquod statutum violent. » Apud D. de Ligorio l. et n. c.

(71. Quæritur an obliget juramentum metu gravi et injuste incusso extortum?

Samuel Puffendorfius, nequaquam hujusmodi juramentum quem obligare contendit. « Plane, sic ille, videtur expirare obligatio si in homine, cui promittitur, vitium sit, ob quod recte acceptare promissum is non possit. Neque enim Deo promisi, neque dixi: in honorem, et gloriam divini nominis latroni dabo; et si vel maxime admittas, hoc quoque jusjurandum habere vim voti, tamen cum votum non stringat, nisi a Deo acceptetur, unde constabit mihi, Deo probari, ut ego innocens me bonis meis spoliem, et illa in impium nebulonem conferam, ne ille gratis sceleratus fuerit? Ne vero Numinis honor minoris dein sit apud latronem, ejusmodi juramento neglecto, non est metuetandum, cum is ipso vitæ genere satis ostendat quanti Deum faciat. Si quis tamen sit, qui evitando simplicium scandalo, et ne videatur nomen Dei, quod inter pericula profuit, in totum subductus irreverentia habere, pecuniæ promissæ irriverentia facere velit, satius utique videtur, Deoque acceptius, eam in pias causas erogare, quam nebulonis alicujus malitiam eadem alere. » *Jus Natur. et Gent. lib. iv, De jurejur. cap. 2, § 8.*

(72. Huic opinioni (quam nos duntaxat modo historico attulimus maxime cum de auctore a Romanae Ecclesiae communionem alieno agatur) (112), nos cum communi theologorum jure merito contradicimus, ducit D. Thoma, qui sic habet: « Dicendum quod in juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini cui aliquid promittit; et talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit, et talis obligatio non tollitur in foro conscientiae, quia magis debet damnum temporale sustinere quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel praelato denunciare, non obstante quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam. » 2-2, q. 89, art. 7, ad 3.

« Romani autem pontifices, prosequitur D. Thomas, ab hujusmodi juramenti homines absolventur, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi hujusmodi obligationes ex justa causa relaxantes. » *Ibid.*

(73. Sed quod magis est, si jus Decretalium

(112) « Questio magna est, num obliget in conscientia juramentum metu extortum. Dicitur in conscientia, quia in foro exteriori, ubi praemittitur non adfuisse animus jurandi, certe non obligat tale juramentum ex c. Verum de jurejur. Quoad forum autem internum, prima sententia negat obligare cum Azor, S. Anton., Sylv., Cop., Ang., Panor., et ali. apud Sanchez, qui ea a probabilem vocat, ex Auth. Sacramenta, Si adversus venditorem: ubi dicitur talia juramenta nullius momenti esse habenda.

evolvamus, persuasum fiet hanc fuisse summorum pontificum mentem, nempe juramentum promissorium, metu etiam gravi atque injuste incusso extortum obligare, dummodo citra dispendium salutis aeternae valeat servari nisi a legitimo superiore relaxetur.

Primum responsum, quod est Alexandri III, occurrit in tit. ex de jurejur., Cap. *Si vero* 8, tenoris sequentis: « Si vero quemquam gravissimo metu sub religione juramenti jus suum refutare coegerit, ipsum quoque sibi retinuerit; quia nos consulere voluisti, alter, an neuter id habere debeat: hoc tibi duximus respondendum quod non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale fuerit juramentum quod servatum vergat in interitum salutis aeternae; nec nos cuilibet ex responsione nostra volumus dare materiam contra juramentum suum venire, ne auctores perjurii esse videamur. Unde aliquando in Romana Ecclesia a pluribus et a praedecessoribus nostris factum esse recollitur quod clerici, qui coacti Ecclesiae ministerium abjurarunt, de juramento absolutionis beneficium meruerunt. » Ad quam decret. sic ait Em. Gonzales: « Ex praesenti textu talis deducitur assertio: Juramentum metu extortum servandum est, donec ab Ecclesia relaxetur. » — Audiamus amplius Barbosam ita scribentem: « Juramentum metu extortum, si potest servari sine interitu salutis aeternae, servandum est. Ecclesia tamen Romana consuevit a tali juramento absolvere. » Collect. DD. in decr. de jurejur., cap. 8, *Si vero*.

(74. Item Celestinus III interrogatus de illis, qui jusjurandum inviti pro vita, et rebus servandis, emiserant, respondet se nihil aliud arbitrari quam quod antecessores sui Romani pontifices arbitrati fuisse noscuntur. Additque pontifex: « Caterum, ut agatur consultus et auferatur materia pejerandi, non eis ita expresse dicatur, ut juramentum non servent, sed si non ea attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi, » cap. *Verum* 15, ex de jurejur.

Præstat in interpretatione hujus textus audire Barbosam, qui sic docet: « Cum communi dicendum mihi est violentem juramentum per metum extortum, si materia sit gravis, peccatum mortale committere. Cui quidem sententiae non obstat textus *in praesenti*, in citatis verbis; quia multipliciter responderi potest. Et primo, quasi dicat textus quamvis violentes juramentum metu extortum in materia gravi, peccatum mortale incurrant, nihilominus non sunt tanquam pro peccato vel scelere magno, damnatione et accusatione dignissimo puniendi, idque propter circumstantiam metus, qui, licet non tollat, attenuat tamen culpam. — Secundo,

Hinc dicunt, quod promissio sic jurata, vel irrita est, vel rescindibilis a metum passo. Secunda tamen sententia longe probabilior, quam Elbel vocat communissimam, Viva, communem; dicit tale juramentum obligare. Ratio, quia tenemur efficere ut verum sit quod juramus, ne Deum testem falsi facimus... Respondetur autem Authent. cit. non recepimus, vel expresse revocatum fuisse a c. 8, et 15 de jurejur. » D. de Ligorio, de juram., n. 175.